



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **CARACENSIS GRECORUM MELKITARUM CATHOLICORUM*** APOSTOLICUS EXARCHATUS PRO CHRISTIFIDELIBUS RITUS BYZANTINI GRAECIS MELKIS IN VENETIOLA DEGENTIBUS CONSTITUITUR Quo longius quidem a proprii ritus incunabulis sedibusque pristinis, quascumque id evenit ob causas, avocantur Christifideles peculiaribus quibusdam Catholicis addicti et inscripti Ecclesiis, eo maius sane opus Matri Ecclesiae impendet et gravius Petri Successori ipsi officium, ut spiritalibus eorum necessitatibus et pastoralis curationi prospiciatur certis interdum captis consiliis, quibus praesertim Concilii Vaticani Secundi voluntas iisdem de communitatibus impleatur ac singulorum locorum adiuncta diligenter respiciantur. Cum igitur Venerabilis Frater, Beatitudo Sua Maximus V Hakim una nimirum sua cum Synodo intellexisset quae essent quantaque pastorales Christifidelium necessitates ritus byzantini Graecorum Melkitarum in Venetiola natione, non optima sine solidissimaque quidem ratione petiverunt ab hac Sede Apostolica ut pro commemoratis fidelibus ea ipsa in civitate propria excitaretur ecclesialis circumscriptio unde efficacius multo possent et proprius adiuvari ac sustentari iidem Catholici suo in ritu maiorumque in Ecclesiae suae usu. Quod porro propositum quandoquidem Nobis usquequaque probabile videtur ac singulariter prorsus eorundem fidelium uni efficacique regimini profuturum, prompta voluntate Suae Beatitudini adsentimur Nostraque potestate omnem in Ecclesiam utimur ut Apostolicum constituamus Exarchatum pro Christifidelibus ritus byzantini Graecis Melkitis in Venetiola degentibus secundum iuris orientalis praescripta. Iubemus deinde Exarchatus huius sedem in urbe Caracensi collocari cunctasque ad amissim servari in posterum iuris normas talem ad dicionem ecclesiasticam quoquo modo pertinentes. Sperantes Nos tandem vehementer fidentesque mox laetificos hic exceptum iri nuntios de novae huius communitatis ecclesialis solida constitutione, sapienti gubernatione, continua progressionem, volumus has Nostras Litteras Apostolicas tam nunc plenam suam habere auctoritatem quam postilla, contrariis quibusvis rebus aut causis minime profecto obsistentibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Februarii anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo, Pontificatus Nostri duodecimo.

AUGUSTINUS card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

SIMON card. LOURDUSAMY

Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXII (1990), n. 7, pp. 644-645 © Copyright 1990 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana